



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

3. Decembris. In conversatione primi spiritûs, quasi omnis vita est
Religiosorum cætuum. S. Ignat. apud Orland. l. 6. n. 34.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

Solùm finè vitii esse, lignea bonitas est; ad majora tendat, qui laudem vult mereri. Quæ agit, agat bene, agat, ut meliùs non possit. Pauca ferventer, plurimis perfunctoriè actis, præponderant.

3. Decembris.

In conservatione primi spiritûs, quasi omnis vita est Religiosorum catuum. S. Ignat. apud Orland. l. 6. n. 34.

IN aliis natura solet à parvis initiis res ad majora provehere; oppositum gratia sectatur ordinem, tantum principiò fervorem tribuit, ut satisfacisse censendus sit, qui proximus illi accesserit.

Dei providentia tantâ Religionum primipilos virtute ornat, ut optimam agendorum Ideam efformet; qui eorum vestigiis fideliter insistit, is veram in se virtutis imaginem efformabit. Illuc respice, quâ sis origine?

Heroum esse filios ignominia est, nisi Majorum gloriam factorum præstantiâ mercemur. Illorum gesta calcar esse debent ad virtutem, ne degenerem aquila columbam videatur genuisse.

Fovendus est primus calor, aliàs focus

intepescet ; extinguetur fornax, nisi nova
identidem igni materia suggeratur ; nihil
proniùs, quàm ut aqua nativum ad frigus
redeat. Filius ignis es, si lucet, & ardes ; si
tepes, fumus es.

4. Decembris.

*Quantò magis se reperit anima segrega-
tam, & solitariam, tantò aptiorem se
ipsam reddit ad quarendum, attingens
dumq; Creatorem.* S. Ign. in ann. Exercit.

Ubi tumultus, ubi hominum, negotio-
rumque multitudo, ibi turba, in qua
nec locus, nec modus est devotioni. Sic,
dum plurima quærimus, optimum amite-
timus ; nihil enim nostrâ cum Deo con-
junctione melius.

Qui omne littus attingit, ad nullum
pertingit ; qui se cum lineis omnibus par-
titur, abit à centro. Si per varia divisi ab-
eant solis radii, non accendunt. Solus
quærendus est Deus, totis amandus est
viribus, ut teneatur.

Aliis expedita cogitationibus mens re-
ctâ feratur ad bonum, tanquam ad sco-
pum, ab hoc ubi declinat, errat : dissipatæ
cogitationes affectum non movent, & af-
fectu